





Z  
6  
2250

# CARMINA

GRATVLA TORIA, RE  
VERENDO VIRO, PIETATE, DOCTRI  
NA ET VIRTUTE PRAECELENTI

VIRO, D. CHILIANO FRIDE

rico, Symnistæ Verbi Divini in Ec

clesia Magdeburgensi fide

lissimo, cum in Pasto

rem Templi Iohann

nis ibideme

ligere

tur.

¶

SCRIPTA AB

HENRICO NEVMEI,

STERO SALVEL-

DENSI,

ET

DAVIDE PALLADIO

MAGDEBURGENSI, LITERA

rum & artium liberalium studijs

Magdeburgi deditis.



1914.2.89  
MAGDEBURGI  
EXCVDEBAT IOACHIMVS  
VALDEN.

1564. Sūo Joachimo petro magdeburgoensi  
1914.2.89 dedit David palladius magdeb.  
mibi vero dedit Iacob: petri

p

# CARMEN

GRATVLATORIVM

REVERENDO, VIRO PIETATE,

Doctrina & Virtute præcellenti, D. CHILIANO

FRIDERICO, Symmystæ uerbi diuini in.

Ecclesia Magdeburgensi fidelissimo, cum

in pastorem templi Iohannis

ibidem cligeretur.

Scriptum

ab

HENRICO NEUMEISTERO

SALVELDENSI.

DISTI  
chon an  
norum nu  
merum a  
condito  
mundo  
ostendens.

PHæbeam DeCles geMinarat IVnIVs arCeM 55  
AC qVater, In MeDio soLe rVbente LoCo.  
Quando Parthenope læto clamore repletur,  
Albis ubi geminis mœnia stringit aquis.  
Conueniunt igitur, cœu buccina signa dedisset,  
Multi, quos tangit relligionis amor.  
Mutua lætifico cumulantes gaudia plausu,  
Oreqfundentes carmina grata Deo.

Ast, ego, quem gestus festiui causa latebat:  
Quid nam designant iubila tanta & rogo.

Ecce uidebatur reliquis qui lætior esse,  
Exorsus pandit talia uerba mihi:

Hactenus infracte mysteria sacra professus,  
Amplexusqsuum cordis amore gregem.

Præco sacri uerbi quo non constantior alter,  
Integritate, fide, qui pietate ualeat.

Nomine quem celebri CHILIANVM dicimus, est  
Pastor Iohannis factus in æde sacra. (iam

Ergo meam(ceu fas) pertentant gaudia mentem,  
Nec cur cœlarem causa reperta fuit.

Propterea



Propterea statui tibi grataturus honorem,  
Carmina disparibus cogere pauca modis.  
**V**t tanto citius facerem communia multis  
Gaudia, quæ mentem corripiuere meam.  
Dignus es, ut celebrent Heliconia carmina laudem,  
Quæ pietate tibi conciliata uenit.  
Sed mea Gorgoneus non dum fons ora rigauit,  
Non Aganippæis sum madefactus aquis.  
Divitis ergo dator uenæ, mitissime Christe,  
Aspira cæptis, omnia faulta meis.  
Dicta Pegasei melliflua carmina fontis.  
Auspicio fiunt prospera cuncta tuo.  
Cursu luctantes, sua cum uestigia ponunt  
Te sine, pertingi meta petita nequit.  
Sic nisi sribentis clementer diriges actus,  
Infausto cæptum sine potitur opus.  
Auspicijs autem lætor CHILIANE secundis  
Munus pastoris te subiisse piuum.  
Omen enim faustum quis non agnosceret esse?  
Et fore fœlicem quis dubitaret eum?  
Ad quem præfecti studijs concordibus, atq;  
Applausus populi scepta tenenda ferunt.  
Adde quod obtulerint sacri consulta senatus  
Inclytæ pastoris munia sponte tibi.  
Magnificis igitur te, lætor, honoribus auctum,  
Actus eximij quos meruere tui.  
**V**t segetem stimulosq; piæ uirtutis haberet,  
Quæ seræ laudem posteritatis habet.  
Sed tibi non solum splendoris gratulor auctus,  
Quos liquidé te non expetuisse, patet.  
Nam sapiens nouit, quam functio sacra docendi,  
Curarum duro pondere terga premat.  
Quin potius sponsæ lauit quam sanguine Christus,  
Gratulor & faustas opto precorq; uices.  
Inclytæ quod teneas fœlix moderamina pastor,  
Cuius erat uitæ uix habitura parem.

A ij

Nam

Nam uelut **Orphæa** rigidæ testudine cautes  
Motæ se proprijs exeruere locis.  
**Flumina** sedato tenuerunt uortice cursum,  
Mulsit & **Amphion** saxa ferasq; chely.  
Sic potes eloquio compulsa flectere mentes,  
Tam manat linguæ uena diserta tuæ.  
Attamen interea sacri miracula uerbi,  
Inculcas tanta simplicitate gregi.  
**Vt** nisi truncus iners obtusas præbeat aures  
Hauriri facile singula dicta queant.  
**Magnanimo** ueluti docuisti pectore Christum,  
Sic constans Christi postea miles eris.  
Non poterunt hostis mendacia turpia nostri,  
Hanc celebrem laudem præripuisse tibi.  
Tela tuas sané uirtutes hostica figant,  
Has tamen è medio tollere nemo potest.  
**Gratulor** & cunctis tibi sanguinitate propinquis,  
Summus quos splendor uexit ad astra tuus.  
Tradita nunc etiam decorabunt munera, nec non  
Officij cinges nobilitate tui.  
**Vrbe** quidem tota melius, nec honestius usquam,  
Officium possent imponuisse tibi.  
Namq; Ministerij summus fundator & autor,  
Est Deus imperio cœlica regna tenens.  
**Per** quod alexiaci, cœtus, oracula Christi  
Seruantes, fiunt membra domusq; Dei.  
Adde quod humanum genus est hoc fine creatum,  
Traderet ut summi iussa uerenda Dei.  
Belliger est ergo non rex præstantior illo,  
Qui plebem uera de pietate docet.  
**Immo** minor. Populum quia publica cura docendi,  
Ipse Deus summum sanxit ut esset opus.  
Infirmi petitur defensio corporis illinc,  
Quod datur extinctum putre cadauer humo.  
Hinc animæ nostræ medicamina certa petuntur:  
Hinc Adæ lapsu perdita uita redit.

Numinis

Numinis hinc sacri cognoscitur alma uoluntas,  
In triplici simplex est quod honore Deus.  
Munera sed quanto nunc splendidiora subisti,  
Tanto maiori laude uehendus eris.  
Pestiferæ fordes non ambitionis amasti,  
Iuuit & officijs non inhiare nouis.  
Non stolidum uulgas, non inconstantia sortis,  
Iam tibi Pastoris freна regenda dedit.  
Ut sibi non palmam fortuna uolubilis addat,  
Acceptum soli sed tibi ferre queas.  
Nam Deus imperio spacioſi climata cœli  
Torquens, pro factis præmia digna refert.  
Magna quidem reprobis geminatae tormenta pœnæ  
Constituit stygijſ suscipienda focis.  
Sed qui ſalutifici multos ad pascua uerbi  
Ducunt, tartareo præripiuntq; lupo.  
Cœtus Christicolum summis conatibus augent,  
Vt clarum fiat nomen in orbe Dei.  
Inclita percipiunt cœlestis munera uitæ,  
Lucrantur rutili gaudia summa poli.  
Adjicit ac illis nitidi regnator olympi,  
Vitæ præsentis commoda multa, Deus.  
Eripit oppressos uario discrimine rerum,  
Auget diuitijs, ornat honore nouo.  
Absoluit faustis euentibus acta, ministrat  
Herculeum robur, consilioq; iuuat.  
Ergo cum gradibus subeunti munia dextris,  
Nunc ſint pastoris nomina parta tibi.  
Non dubito, ſummi quin ſic fabricator olympi  
Reddat uirtutis præmia digna tuæ.  
Donec in hoc mundo uitali uesceris aura,  
Nec ſtant occata stamina moesta colo.  
Et cum depositam rigidissima fata reposcent  
Vitam, reddentur cœlica regna tibi.  
Huius enim uitæ largiſſima præmia, nec noui  
Venturæ, pietas officiosa capit.

A ij

Quando

**Quando tuæ forsitan dextræ tradentur habentæ,**  
Quod sis, concedes septus honore nouo.  
**Sed querulas imo promes de pectore uoces**  
Mole fatigabor inuineris ipse noui.  
**Alterius fidei regimen committere malo:**  
Sufficit officij gloria prima mihi:  
**Ingenuæ fateor, pascendi munera plebem**  
Imponunt humeris pondera magna tuis.  
**Præsertim, uarijs, hac tempestate, procellis,**  
Qua misere quatitur pressa Carina Dei.  
**Sentit enim Sathanas millemo præditus astu,**  
Cuncta breui flammis interitura uagis.  
**Ergo cruentatos protrudit in arma Tyrannos,**  
Verbi præcones tollat ut ense pios.  
**Suppeditat tumidis, conuitia, scommata, nugas,**  
Possit ut innocuos rodere dente uiros.  
**Et de doctrina suspectos reddat ouili,**  
Atq; ministerij tædia longa ferat.  
**Heu mihi quam cœtus oracula pura sonantes,**  
Qui nunc parthenopes moenia celsa tenent,  
**Dente uenenato inacerat, conamine toto**  
Reddere suspectos de pietate cupit.  
**Qua semel afflixit sanctos dominator auerni,**  
Non hostis terret liuida lingua tui.  
**Tela tuæ minimè parcent hostilia famæ,**  
Ictibus illæsam quam petiere prius.  
**Ingenium siquidem redit ad præcordia primum,**  
Immemor haud sceleris definit esse sui.  
**Sed quæ frugiferum tam sunt onerosa per orbem?**  
Quæ nam sub cœlo tam graue pondus habent?  
**Quæ non pro sacra sint relligione ferenda,**  
Atq; fatigato sunt toleranda iugo.  
**Quando fulmineam Deus exarsisset in iram,**  
(Cuius ab aspectu terra polusq; tremit)  
**Ob Nineuitarum securæ crimina gentis,**  
Et propter uerbi dogmata spreta sui.

Tales

Tales offenso deponit pectore uoces:  
Sermonis IONA sedule præco mei.  
Turrigeræ tectis Nineuæ succedit o celsis,  
Talia mandati nuncia fert o mei.  
Vestra Panomphæum regem peccata laceffant,  
Tempore scindentur mœnia uestra breui.  
Ni proieceritis tremefacto pectore labes,  
Sancto fundentes sedula uota Deo.  
Ille sed a facie Domini fugitus amœna,  
Ad portas Nineuæ nec subiturus iter.  
Vda procellosi properanter littora ponti  
Arripit, & nautis præmia certa dicat.  
Ut celeri cursu per lignea transtra uehatur,  
AEtherei uultum defugiatq; Dei.  
Vix e conspectu Syriae telluris in altum  
Vela dabant, medium iam Pelagiusq; tenent.  
Cum subito magnus consurgit in æquore motus,  
Nunc tumidas præceps tollit ad astra nothus.  
Nunc Acheronta patent tumidis hiscentibus undis,  
Cunctaq; præsentis signa dedere necis.  
Interea IONAE præbebat culcitra somnos,  
Membra refecturo, fessa, sopore graui.  
Hunc ergo, somni tranquilla silentia rumpens  
Compellat, sæui, nauta timore, freti.  
Tune procellarum stridentum murmura tollis?  
Irritans uitij s numina sancta tuist?  
Ille suæ culpæ non inscius, annuit, atq;  
In pontum sese præcipitare iubet.  
Bellua continuo motis caput extulit undis,  
Eiectos artus excipit atq; uorat.  
Hoc Deus exemplo monuit, ne munera, quamuis  
Durum prouoluant, excutiamus, onus.  
Antea diuini quamuis purissima uerbi  
Pabula, te constet, proposuisse gregi.  
Rebus & in dubijs te non leuiora pericla  
Suffultis humeris sustinuisse tuis.

Attamen

**A**ttamen euectus, maioreq; cinctus honore,  
Posthac maior mole grauatus eris.  
**E**rgo uoluntatem diuino subiisse fato,  
Quod tua magna munia laude notat.  
**I**n dominum iacta curarum pondera, fausto  
Omine pastoris sustineasq; uices.  
**D**einde suo quamuis alij sint nomine clari,  
Officium possent quo decorare nouum:  
**T**u tamen a sacro firmatus flamine pastor,  
Scito, Deum per te consuluisse p̄js.  
**S**ublimi quoniam SIEGFRIDVS SACCVS ho-  
Afficitur, propter dona stupenda Dei. (nore  
**E**st quibus ornatus, quibus & mendacia posset  
Pellere, qui nostrum uastat ouile, lupi.  
**A**rtibus ingenuis lucet, uirtute coruscat,  
Doctrina, studijs, eloquioq; ualet.  
**P**ondera uerborum rem non illuita sequuntur,  
Cum de suggestu coelica iussa refert.  
**Q**uem non persuasum teneant (mirabile dictu)  
Durius hunc saxo pectus habere putas.  
**S**ed quia non cuius tantum das ferre talentum,  
Centuplicis doni, Christe benigne, dator.  
**I**nuenies raros, qui Phocidos arua iuuare  
Castaliæ, possint prosperitate pari.  
**E**rgo scholæ frenos trabeati iura senatus  
Liquerunt fidei, SACCE diserte, tuæ.  
**H**inc IOACHIMVS quo non facundior alter,  
Cui FABA subiunctum nomen habere dedit.  
**D**igné pastoris potuisset munere fungi.  
Aonij̄s etenim fontibus ora madent.  
**I**mpavidè monstri compescuit ora trifaucis,  
Ne sibi commissas dilaniaret oues.  
**G**nauiter euoluit sinuosa uolumina patrum,  
Quicquid doctrinæ Biblia, nouit, habent.  
**M**ellifluos etenim ueluti Sicania flores  
Carpit apis, dulces composita fauos.

Sic

Sic tua conditum collectis undiq; dictis,  
Nec non historijs, concio mixta sacris.  
Sed brevibus dicam: Diues facundia linguæ  
Ornatu tanto uerba suprema docet.  
Vt doctoratus extent insignibus aucti  
Pauci, quos æqua lance librare queam.  
Non tamen inuidiæ stimulis agitatur amaris,  
Non sibi præferri te FRIDERICE dolet.  
Nec tibi mouisset stomachum CHILIANE diserte,  
Si FABIO Christi cymba regenda foret.  
Quantus Pyrithoo deuinxit Thesea candor,  
Quantus in Atridis Tyndaridisq; fuit.  
Tanta fides, candor, pietas, concordia, uirtus,  
Tantus & amborum pectora iunxit amor.  
Fœlix ista domus, fœlix Ecclesia Christi,  
Regnat ubi pietas, indubitatus amor.  
Namq; sacrosanctæ triadis præsentia uerē  
Non cessaturo tempore, durat ibi.  
His, Madeburgiacæ non infima gloria gentis,  
FINCELBERGE uiris annumerande uenis.  
Mors etenim pallens, & inexorable fatum,  
Non parcens doctis, ingenuisq; uiris.  
JOHANNEM MEIER postquam rapuisset ab or.  
Præstantem donis & pietate uirum. (be)  
Propter multiplices docto sub pectore dotes,  
(Ingenij siquidem dexteritate uales)  
Diues opum, belliq; potens te clara uocauit,  
Inter Symmistas, Parthenopæa, suos.  
In patrijs terris ut mystica uerba sonares,  
Et Christi posses ritè præesse scaphæ.  
Istis officijs potuisset sarcina tradi,  
Aut alij uera qui pietate nitent.  
Verum præ reliquis statuit diuina uoluntas  
Maiori laudum te decorare gradu.  
Vt tibi uirtutis campus spaciosior esset,  
Et per te caneret sancta caterua Dcum.

B

Verbi

**V**erbigenæ profit laudi prouincia patris,  
Soteris Christi, pneumatice atq; sacri.  
**V**iue Mathusaleos fœlix FRIDERICE per annos,  
Largiter ut sacri dogmatis unda fluat.  
**N**unc tibi summe Deus dignas de pectore grates  
Fundo, quod imbellem protegis ipse gregem.  
**Q**ui tua fidenti seruat mysteria corde,  
Teq; suum uerum prædicat esse Deum.  
**H**aetenus æternæ quod monstras pascua uitæ,  
Pastores ouibus prospicis usq; bonos.  
**Q**uodq; lupos tristes nostris ab ouilibus arces,  
In sanctos homines qui maledicta uomunt.  
**C**redula supplicibus duco suspiria uotis,  
Conserua cœtus tempus in omne pios.  
**T**ela pharetrati confringe nefaria Turcæ,  
Teutonicos armis ne populetur agros.  
**I**am semel accensas intra penetralia cordis  
Intima, dcleri nec patiare faces.  
**V**t sonet unanimem concors Ecclesia uocem,  
Seditiosorum schismata tolle gregum.  
**F**ac ne ciuili Germania sanguine pugnet,  
In sua uel stulte uiscera cæde fremat.  
**S**ed potius Scythicum concordi marte tyrannum  
Obruat, atq; domet colla superba Getæ.  
**P**ræbe messores, tua qui mittantur in arua,  
Vt capiat fruges, ubere messe, Deus.  
**I**n tenebris uerbi qui iam uersantur opacis,  
Illustra uerbi lumine quæso tui.  
**S**i tibi paruerint, meliorem subiçce mentem  
Illis, qui flagris templa scholasq; premunt.  
**S**in tibi præbuerint adamantina corda uocanti,  
Igne, fame, gladio, supprime, perde, neca.  
**F**ac ne flaccescant diuini pascua uerbi,  
Hoc Disti, Sed uigeant horto pabula sana tuo.  
chon indi, Ut qVI VIs anIMI nIXV Veneret Vr, & ore  
cat annū a VnIVs, & pVrI trIna prosopa Del. 155  
nato Christo. AMEN. Gra.

# GRATVLA

TORIVM CARMEN AD  
PIVM DOCTVMQVE VIRVM

Chilianum Fridericum, qui electus est

Pastor in æde Diui Iohannis,

Anno 1564.

Scriptum

A

DAVIDE PALLADIO MAG.  
DEBVRGENSI.

**V**Ergit ad interitū pulcherrima fabrica mundi,  
Iudicij sentit non procul esse diem.

Crimina ferre nequit, dolet, ingemit, atq; uacillat,  
Peccatisq; negat suppeditare locum.

Pallidus amittit clarissima lumina Phœbus,  
Aspicit in mundo cum mala tanta geri.

Nonnunquam gemini, triplesue per æthera soles  
Apparent claro, tristis imago, die.

Cynthia pallescit, tenebris absconditur atris,  
Et nil nocturno tempore lucis habet.

Sœpe Cometa suas diffundit in aere flamas,  
Cernimus ignitas sœpe micare trabes.

Terribiles uisu profert natura figuras,  
Sœpe latrantis homo nascitur ore canis.

Infantem memini caligis, thorace, lacerna  
Dissectis natum, mira, sed acta loquor.

Omnia degenerant, uirtutem crimina pellunt.  
Decrescit uirtus, crescit & omne scelus.

Hei mihi quam res est nostro mirabilis æuo  
Indubitata fides, indubitatus amor.

Astræam pepulere deam crudelibus ausis  
Fastus, amor numini, gloria sparsa dolo.

B ij

Ragus

Rarus amor ueri, scelerata calumnia uires  
Assumit, rabido carpit & ore pios.  
Eumenis illa uolat totum furiosa per orbem,  
Cuncta uenenatis conspuit atq; dolis.  
Crebra sed ætherea sub relligione uagatur,  
Si nescis, Papæ curia testis erit.  
Quæ non Petrina iam fulmina torquet ab arce  
Papa, cuculligeri rasaq; turba gregis?  
Proh scelus inter se quo iam fera prælia miscent,  
Qui credunt tribui gaudia summa fide.  
In sua conuertunt sceleratas uiscera daxtras,  
Alternis sese uulneribusq; necant.  
Quot in ea Parthenope tibi falsa calumnia næuos  
Aspersit, numeris si memorare uelim:  
Auderem tumidos numerare per æquora fluctus,  
Et quot odoriferis floribus arua micant.  
Quam tibi sæpe mali decus optauere puellæ  
Demere, uirgineos & maculare thoros.  
TOLLE MANVS furiosa cohors, gestuq; reuelat  
Lætitiam, tales da sine mente sonos:  
Parthenopyrga iacet, Christum Madeburga negat  
Alta Lycaeæ iacent. Parthenopyrga iacet. (uit,  
Stat, stetit, & longos Christo seruante per annos  
Parthenope stabit dogma professâ Dei.  
I scelerata cohors, uictrix & tempora cingat  
Laurus, uicta tibi quam Madeburga dedit.  
Stat Magdeburga, licet Sathanas fremat ore cruentu  
Sic dominus cœtum qui sibi fudit, amat. (to,  
Idcirco memori referemus pectore grates,  
Qui nutu seruat cuncta creata, Deo.  
Quod quassam medijs cymbam non deserat undis,  
Protegat at contra uimq; minasq; stygis.  
Quod tribuat nobis doctores arte ualentes,  
Constantes, fidos, & pietate graues.  
Santa Dei monstrant rudibus qui uerba popellis,  
A cœtu pellant dogmata falsa procul.

Gratulor

Gratulor ergo tibi CHILIANE, precorq; salutem,  
Vir præstans Musis, simplicitate, fide.  
Quem Deus electum tenero præfecit ouili,  
Ne citō palantes dis h̄cerentur oves.  
Huic etiam gratare uiro studiosa iuuentus,  
Vrbs quam uirgineo nomine clara fouet.  
Prome Deo meritas tanto pro munere grates,  
Ac humiles humili concine mente preces.  
Seruct ut incolumem frangens fera spicula Ditīs,  
Qui possit rectē uerba docere Dei. ¶  
Si gratiamur ei, consul qui sorte creatus.  
Fortiter immensæ sustinet urbis onus:  
Cur nec ei mentes uerbi qui munere pascit,  
Et grane sacratae sustinet ædis onus.  
Quem pater æternus tam magnis laudibus ornat,  
Atq; suam mandat sustinuisse uicem.  
Assimilentur opes licet huic, quas egerit Hermus,  
Quas Paſtolus habet, quas Tagus imus habet.  
Non tamen ætherei pastoris munia uincenr,  
Cedent & stabunt inferiore loco.  
Tam cedunt superæ cœlestia corpora menti,  
Quam uincit stellas lucifer igne suo.  
Nititur immensi qui sacra uolumina iuris  
Voluit, ut externæ non uiolentur opes.  
Qui scit herbarum uires, usumq; medendi,  
Tendit ad hunc uigili sedulitate scopum:  
Gnarus ut a morbo uenienti corpora seruct,  
Pœonia nec non languida sanet ope.  
Sed quo delabor? Longæui Nestoris annos  
Huic optate uiro uiuida membra scholæ.  
Qui placidas magno iuuit sudore Camœnas,  
Quas conabatur stulta fugare cohors.  
Restitit audaci magnis conatibus hosti,  
Omnia ne fierent seditione chaos.  
Stellifero miscere solum non gaudet olympo,  
Non alios tumido spernit & ore uiros.

A ij

Elucet

**E**lucet uirtus, grauis atq; modestia multu;  
Non commota fides, & pietatis amor.  
**Q**uanta sit, apparet, cultæ facienda linguae,  
Cum docet in templo cœlica uerba Dei.  
**A**uxiliante Deo docuit, docet, atq; docebit,  
Absq; dolo summi dogmata uera patris.  
Spernit opes, propriæ spernit præconia laudis,  
Inq; sua fidus conditione manet.  
**Q**uærit, ut alma Dei per totum gloria mundum  
Crescat, & hunc laudent climata cuncta Deum.  
**Q**uæq; salutifero pugnant contraria uerbo,  
Respuuit, & nullum mandat habere locum.  
**I**nscia cœlesti doctrina pectora munit,  
Vnde salus ueniat mentibus, ipse docet.  
**N**emo petit cœlum proprijs uirtutibus, inquit,  
Si fudit ineritis, nemo beatuerit.  
**D**at pater ob natum nobis pia gaudia cœli.  
**Q**uæ capiunt stabili pectora nostra fide.  
**L**ibera sunt nulli bona facta, nec æthera pandunt,  
Germina ceu fidei sunt facienda pio.  
**I**nteger ante fuit lapsus, nunc lumine cassus  
In rebus sacris cæcutit omnis homo.  
**P**ane sub & uino corpus capit atq; cruorem,  
Dignus & indignus non ratione pari.  
**C**hristicolis præstare licet uel omittere ritus,  
Fit sacris quorum mentio nulla libris.  
**I**ngenua teneris hæc simplicitate bidentum  
Inculcat gregibus, dexteritate, fide.  
**V**erba nec inflatis dat sesquipedalia buccis,  
Quod nunc præcipuum creditur esse decus.  
**S**ic docet ut sensum possit ceu lumine claro,  
De medio populo quisq; uidere suum.  
**S**ed tamen haud pauci tanta uertigine mentis  
Voluntur, tetrum pectora uulnus alunt.  
**V**t clamant: Chiliane iaces, Friderice resurge,  
Si quæris causam, dicitur Autos Ephæ,

Sunt

Sunt alij, qui, cum uideant penetralia cordis  
Scilicet, hos fundant turpiter ore sonos:  
Lingua docet forsan sacro non dissona uerbo,  
Sed fera lethiferum pectora uirus habent.  
**H**æc precor unde uenit tacitæ scrutatio mentis?  
**V**nde precor nobis Cardiognosta uenit?  
Innumerous gignunt ah tempora nostra prophetas,  
Qui uentura statim posse uidere putant:  
Quamuis nunc, aiunt, diuini semina uerbi  
Ostendit populis, ceu Deus ipse iubet.  
Non tamen hæc semper confessio fixa manebit.  
Post aliquos iterum defluet illa dies.  
**Q**uis precor ista tibi pandit doctissime uates?  
Vrticæ cingant feruida serta caput.  
**Q**uid scelerata cohors uanis te morsibus angist?  
Est animi liuor noxia serra sui.  
Ah tandem resipisce graues depone furores,  
Tempus erit, quo te penitusse iuuet.  
Dissilias liuore licet, nihil efficis ira,  
Tu licet iniudeas, hic Chilianus erit.  
**V**ince feros animos, nil saeva calumnia prodest,  
Tu licet iniudeas, hic Fridericus erit.  
Huius igitur gratare uiro studiosa iuuentus,  
Et summo mecum uota profunde Deo:  
Alme parens qui regna tenes flammantia coeli,  
Communi grates fundimus ore tibi.  
Sacra reuelasti quia nobis pascua uerbi,  
Quod tulit e patris filius ipse sinu.  
Doctores etiam tribuis, qui pectore fido  
Ignarum doceant uerba sacrata gregem.  
Hoç pater alme foue, custodi, protege, serua,  
Ut crescat toto nomen in orbe tunm.  
Pelle lupum, ne perdat oues, ne uastet iniqué  
Quem cupidio semper circuit ore, gregem.  
Nauiculae concede tuæ modo littus amicum,  
**V**ndiq; quam mundi densa procella ferit:

Ne

26

2250

AK

K2207752

Ne Mahometigenæ nostris bacchentur in oris,  
Ne ueniat subito Pontificisq; manus.  
Tuq; scholis patronus ades, tu portus & aura,  
Doctores serua, discipulosq; foue.  
Tu Julianistas manibus contunde seueris,  
Ne rapido perdant funditus igne scholas.  
Tunc tibi psallemus meritæ præconia laudis,  
Languida uitalis dum regit offa calor.

FIDES DE  
NONNVLIS DOCTRINAE ARTICVLIS EX PRAECEPTO-  
rum lectionibus, sub Rectoratu M. Sieg-  
fridi Sacci, hausta.

DE IVSTI ficatione. **D**At pater æternus cœlestia gaudia nobis  
sponte sua, GRATIS, ex bonitate mera.  
Morte sua meruit Christus, nec homuncio factis,  
Et, ceu prompta manus, suscipit una fides.

DE BO-  
nis operi-  
bus. **G**ermina ceu fidei fiant bona facta, nec ulli  
Libera sunt, hæres qui cupit esse poli.  
Ast ea non reserant, quia non sunt integra, cœlum,  
Perfectum legis norma requirit opus.

DE LIBE-  
ro arbitrio. **N**ondum lapsus homo fuit integer intus & extra,  
Velle Dei nouit, nouit & esse Dei.  
Nunc externa quidem cohibendi est membra facul-  
Nil tamen in sacris mens animusq; ualeat. (tas,

DE COE-  
na Domi-  
nica. **I**n cœna ueré Christi cum sanguine corpus  
Coniunctum VERBO, pane meroq; datur.  
Indignus dignusq; capit, uetus atq; renatus,  
Hic uita fruitur, sumit at ille necem.

DE ADI-  
aphoris. **L**iber homo seruare potest, uel omittere ritus,  
Quos iubet haud uerbo, nec uetat ipse Deus.  
Sed nihil Ausonijs fas est concedere monistris.  
Quamuis sæua triceps torqueat ora canis.

FINIS.

98



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-337662-p0019-9

DFG



# Farbkarte #13

